



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio VIII. Vtrùm liceat sequi opinionem minùs tutam, & minùs probabilem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

nem; sicque non requiritur iudicium de veritate objecti, sed sufficit iudicium de veritate probabiliter existente.

119. Dices 2. Videtur repugnare, quod intellectus duas opiniones contrarias iudicet æquè probabiles; ergo si aliquam probabiliorē, & tutiorem iudicet, non poterit aliam licitè sequi. Respondeo negando antecedens: nam probabile est, quod Petrus, qui emit, & vendit bona fide rem alienam eodem pretio, quo illam emerat à latrone, non tenetur tale pretium vero domino restituere, ut docent *P. Mol. tomo 3. de iust. d. 721. num. 6. 7. & 9. P. Less. lib. 2. de iust. cap. 14. dub. 5. num. 29. P. Rebel. p. 1. lib. 2. de iust. quest. 3. num. 3. & part. 2. lib. 9. q. 18. sect. 1. num. 9. Soc. lib. 4. de iust. quest. 7. art. 2. & Diana part. 3. tract. 5. resol. 24. Et æquè probabile est, quod teneatur tale pretium restituere, ut tenent *P. Vasq. in part. 2. d. 172. cap. 1. num. 4. Ledesm. in sum. tom. 2. tract. 8. cap. 14. post 4. conclus. dub. 2. Sayr. clavi lib. 10. tr. 2. cap. 2. num. 13. Bannez, Aragon. 2. 2. quest. 62. art. 6. dub. 1. quod probant ex eo, quod pretium succedat loco rei ex l. si rem, ff. de petend. hered.**

120. Instabis: Non apparet modus explicandi, qualiter homo possit habere simul duo iudicia contraria, per quorum unum iudicet rem esse licitam, & per aliud iudicet eandem rem non esse licitam; ergo &c. Respondeo negando antecedens: quomodo enim id fieri potest explicant *P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 16. quest. 2. & 3. & cap. 17. quest. 7. P. Vasq. 1. 2. d. 62. cap. 3. num. 10. P. Laym. & alii apud P. Bard. discep. 4. cap. 12. Dicunt enim, non posse eundem intellectum per propria & intrinseca rei principia, id est, per causas rei, aut effectus illius, aut per absurda, & impossibilia inde deducenda, iudicare utramque opinionem probabilem, quia iam intellectus iudicaret simul duo contradictoria: optimè tamen posse, inquit, per principia extrinseca, id est, per auctoritatem Doctorum contrariam opinionem probabilem; & per principia intrinseca aliam etiam probabilem iudicare; ita ut unum iudicium fundetur in ratione; aliud verò in auctoritate.*

121. Patet in casu proximè adducto, in quo quis potest ita discurre: Pretium succedit loco rei vendita per text. in l. si rem, ff. de pet. hered. Sed ego habeo pretium rei alienæ, quam bona fide vendidi; ergo probabile est, quod teneor illud restituere vero domino. Deinde potest etiam formare aliud iudicium hoc modo: Licetum est acquiescere dicto Sapientum; sed multi Sapientes dicunt, me non teneri ad restituendum tale pretium; ergo probabile est, quod non teneor illud restituere; sed in proposito eventu homo habet duos assensus contrarios, unum per principium intrinsecum, nempe per rationem, & alium per principium extrinsecum, nempe per auctoritatem; ergo &c.

122. Nihilominus probabilius videtur, quod homo simul habere possit duo illa iudicia, etiam per principia intrinseca. Ita *P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. n. 12. & P. Arriaga d. 24. de Actib. human. num. 9. Probatur primò, quia sæpe utraque pars contradictionis solâ ratione apparet probabilis, nullo auctore reperto pro utraque parte. Secundò persistendo in exemplo adducto, potest homo ille formare iudicium probabile, se teneri ad restituendum ex hac ratione, quia scilicet pretium succedit loco rei: & deinde formare iudicium oppositum, se non teneri ad restitutionem ex hac ratione, quia scilicet non tenetur ratione rei acceptæ, neque ratione iniustæ acceptionis.*

123. Dubium 4. Utrum regulariter, & per se loquen-

do, liceat sequi partem minùs probabilem, tutam tamen? Affirmativè. Huic nemo contradicit. Docetur à *Cordub. lib. 2. quest. 13. §. Alio modo. P. Sal. cit. sect. 6. initio. & aliis. Probatur quia homo in hoc eventu habet iudicium probabile de honestate actionis, quod est sufficiens regula, ut supra diximus, & non exponitur periculo peccandi; ergo licitum ei tunc est operari. Dixi regulariter, & per se loquendo, quia contingere poterit esse illicitum sequi partem minùs probabilem ratione aliqujus circumstantiæ, v. g. ratione periculi scrupulorum conscientiam inquietantium, aut alterius similis causæ.*

SECTIO VIII.

Utrum liceat sequi opinionem minùs tutam, & minùs probabilem?



124. AFFIRMATIVAM sententiam, quam multi pro suo potiùs genio, quàm ingenio oppugnant, multo autem plures & ingenio & ratione solidè propugnant, iudicio veriorē; eam tenent *Merend. lib. 1. de Contract. cap. 5. Medim. 1. 2. quest. 19. art. 6. P. Vasq. ibid. d. 62. cap. 4. num. 14. P. Valent. 1. 2. d. 2. quest. 12. pun. 5. quest. 1. & punct. 4. quest. 14. sum. quest. 4. & 2. 2. d. 5. quest. 7. punct. 4. vers. Respondeo. Gutier. quest. Canon. lib. 1. cap. 13. num. 23. P. Soar. tomo 5. in 3. p. d. 40. sect. 5. num. 6. P. Henrig. lib. 14. de Irregular. cap. 3. num. 3. P. Azor. tomo 1. lib. 2. cap. 16. quest. 2. 3. & 4. & cap. 17. quest. 7. Bannez 2. 2. quest. 10. a. 1. dub. 3. Navar. lib. 3. de restit. cap. 1. dub. 13. num. 237. Aragon. 2. 2. quest. 63. art. 4. dub. penult. Salon. ibid. contrav. 2. conclus. 4. Lud. Lopez. 1. p. cap. 120. Petr. Ledesm. tomo 2. sum. tract. 8. cap. 22. P. Sal. 1. 2. quest. 21. tract. 8. d. unica, sect. 6. num. 66. Sayr. in clavi lib. 1. cap. 6. num. 4. & 10. P. Less. lib. 2. de iust. cap. 29. dub. 8. num. 68. quos citat, & sequitur B. Sanchez lib. 1. decal. cap. 9. num. 14. & lib. 2. de Matr. d. 41. fine, & d. 42. num. ult. P. Pal. tomo 1. d. 2. de Conscient. punct. 2. n. 2. Joann. Sanch. in select. d. 42. num. 12. P. Becan. lib. 1. cap. 4. quest. 9. num. 15. Martinez d. 86. §. Dico 3. P. Laym. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 7. Basil. Pont. lib. 10. de Matr. cap. 15. num. 4. Mader. 1. 2. quest. 9. art. 5. d. 68. Assert. 3.*

125. Tenent etiam *P. Fillii. tom. 2. tract. 21. cap. 4. num. 128. P. Tanner in 1. 2. d. 2. quest. 4. dub. 3. num. 36. Barbosa in Remiss. ad Ordinat. Lusitan. lib. 3. tit. 6. 4. num. 10. Garzias de Benef. tomo 2. part. 11. num. 361. Villalob. sum. tomo 1. tract. 1. diff. 10. num. 2. Lorca in 1. 2. tomo 1. d. 39. memb. 2. Sanctarel. ver. Resol. p. 1. quest. 59. num. 4. Barbosa, in collectan. rom. 1. lib. 2. tit. 9. cap. 4. num. 6. Portel. in addit. ad dub. regular. verb. Opinio, num. 3. Diana part. 1. tract. 13. resol. 1. P. Teril. tomo integro. P. Arriaga d. 24. de Actib. human. num. 2. P. Mendo. Stater. opinion. dissert. 13. quest. 15. P. Fabri in Apologer. ubi latissimè de usu licito opinionis probabilis. P. Escob. tomo 1. Moral. lib. 2. a. sect. 2. P. Esparza tomo 1. lib. 3. quest. 23. & ibi in Appendice, ubi de hac materia, & usu licito opinionis probabilis latissimè, & doctissimè contra oppugnantē, & blasphemantē præsentem questionem, illiusque patronos tum religione, tum pietate, tum litteris apprime notos. Igitur præsens questio:*

Probatur primò, quia in cap. Sicut quadam dist. 14. dicitur:

dicatur: In iis, quæ dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec Sanctorum Patrum decretis invenitur adversum; sed quodcumque probabile est, huiusmodi est; ergo licet illud sequi.

127. Probatur secundò, quia quamdiu est iudicium probabile, quod nulla sit lex prohibens, aut præcipiens actionem, talis lex non est sufficienter proposita, aut promulgata homini; sed obligatio legis, cum sit ex se onerosa, & quodam modo odiosa, non urget, donec certius de illa constet; ergo quamdiu de illa non ita constat, potest quis secundum illud iudicium probabile operari licite. Neque contra hoc urget aliqua ratio; siquidem tunc revera contraria pars non est tutior in ordine ad conscientiam; neque ibi est aliquod dubium practicum, neque speculativum.

128. Probatur tertio, quia ex opinione Adversariorum, tenerentur homines ad conferendas singulas opiniones, & examinandum, quænam illarum sit probabilior, ut illam sequantur; sed hoc esset intolerabile onus eis imponere; maxime cum per singula momenta uni, & eidem homini opinio aliqua & probabilior, & æquæ, aut minùs probabilis appareat; ex quo tunc magna, & irreparabilia damna sequerentur, ut si quis putans probabiliorrem esse opinionem, quæ damnat contractum aliquem in alicujus utilitatem, ab illo absteineat, & postea concipiat, talem opinionem esse minùs probabilem, etiam si velit, non poterit damnum reparare; ergo &c.

129. Probatur quarto, quia ex contraria sententiâ plurima sequerentur absurda: Primum, qui reputat aliquid probabilius, non posse in praxi se conformare Sapientissimorum iudicio; quod tamen videtur contra humilitatem, prudentiam, & pacem. Secundum, non posse cum dubio, aut sua opinione minùs probabili aliquem alteri movere litem; neque Advocatum illam defendere; etiam si sciret Iudices in suam favorem iudicatos, quia eam opinionem probabiliorrem putant; passimque susceptas causas teneri dimittere; quatenus nunc suam, postea verò aliorum opiniones iudicat probabiliores. Tertium, confessarium in eodem casu, & circumstantiis nunc ad hoc, & nunc ad oppositum obligare: & Doctorem contrariis sententiis subscribere. Quartum, neminem posse, etiam urgente necessitate, petere à Pontifice, Episcopo, aut à quocumque alio dispensationem in eo casu, in quo probabilius esset, non posse illam licite concedere; hæc autem, & similia absurda non admittenda sequuntur ex Adversariorum sententiâ, ut patet; ergo &c.

130. Probatur quinto, quia subditus contra propriam opinionem tenetur obedire superiori, si sciat eum præcipere secundum opinionem probabilem, omitendo suam probabiliorrem, ut modò suppono, & infra dicemus; ergo etiam poterit quisque contra propriam opinionem probabiliorrem licite operari sequendo aliorum opinionem probabilem; siquidem quod opinio sæ contraria sit superiori, non facit, quod sit probabilior quàm propria, ut propria omittat, teneatur illam superiori, & non aliorum sequi.

131. Probatur sexto, quia quando ex opinione probabili operaris, prudenter operaris: tum quia alii ex illa prudenter operantur: tum etiam, quia sæpè opinio, quæ alicui probabilior, & tutior apparet, probabilior, & tutior non est; ergo licite poteris, relicta tuâ opinione probabiliori, aliorum probabilem amplecti. Confirmatur, quia in aliis rebus, quæ non sunt præceptæ, non est imprudentia sequi

consilium aliquorū Doctorum contra proprium; ergo neque in rebus præceptis erit contra rationem sequi opinionem aliorum contra propriam.

132. Probatur septimò, quia si unus non posset licite operari secundum aliorum opinionem probabilem, sequeretur, non posse unquam operari contra propriam opinionem, quia ipse solus existimat aliquid esse peccatum, etiam si ceteri omnes oppositum doceant; sed hoc videtur incredibile; ergo &c. Probatur sequela, quia si aliquid obfaret, esset, quia contra propriam opinionem nemo potest sibi formare iudicium conscientie, quo iudicet, posse licite operari; sed hoc eundem locum habet, si ipse solus sequatur opinionem, si vel alii cum ipso; ergo &c.

133. Probatur octavò, quia opinio probabilis in speculativis est illa, quam possumus sequi sine periculo erroris; ergo opinio probabilis in moralibus est illa, quam possumus sequi absque periculo peccandi. Confirmatur, quia opinio probabilis est conformis rationi, & dictamini peritorum; nam si est contra rationem, potius est error, quàm opinio probabilis; ergo sequi, & operari secundum illam, peccatum non est.

134. Dicent, opinionem probabilem esse quidem conformem rationi, opinionem tamen probabiliorrem esse magis conformem, & securiorem, sicque nos obligari ad illam sequendam. Sed contra cum *Medin. cit. & P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 9. n. 14.* quia nemo tenetur ad id, quod est melius, & perfectius; siquidem perfectius est servare virginitatem, quàm esse conjugatum: vovere paupertatem in religione, quàm esse divitem; & tamen nemo ad ista perfectiora obligatur, sed sufficit, si faciat, quod bonum est; ergo idem dici debet in sequendis opinionibus.

135. Probatur nonò, Idèò quis teneretur sequi opinionem probabiliorrem, quia videtur magis accedere ad veritatem; sed ex hac ratione non tenemur illam sequi; siquidem sæpè, ut ait Philosophus, falsa sunt probabiliora veris; ergo &c. Confirmatur primò, quia ex ipsis Adversariis tenemur sequi opinionem probabiliorrem; sed quòd nobis liceat sequi opinionem probabilem, est opinio probabilior: tum quia habet pro se plures, & gravissimos Auctores: tum etiam quia firmiora habet fundamenta, quàm opposita; ergo ex hoc capite vel ipsi Adversarii tenentur hanc nostram opinionem sequi. Secundò, quia ipsi pleræque sententias sequuntur, quarum oppositas alii probabiliores iudicant; sed hi, si relicta propria opinione probabiliori, non malè agerent, si sententiam ipsorum Adversariorum sequerentur, ut ipsi iudicabunt; ergo cur ipsi malè agent, si suâ relicta, nostram sequantur?

136. Prob. decimò ab exemplis, quia tutior est sententiâ, quæ docet, poenitentiam præcepto nos teneri in diebus festis ad detestationem, & dolorem peccatorum habendum, quàm opposita: tutius debere nos statim, oblata occasione, confiteri peccata, quàm oppositum: commissio peccato in die festo, debere explicare in confessione circumstantiâ temporis, quàm oppositum: non exigere, neque accipere quidquam ex mutuo ratione lucris cessantis, quàm oppositum: promissionem juramento firmatam, licet in re levi graviter obligare, quàm oppositum: non condemnare ad mortem hominem innocentem cognitum, probatum tamen nocentem, quàm oppositum, quod docuit *D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2.* non occidere furem pro rebus nostris ad vitam necessariis servandis, quàm oppositum: iuste damnatum ad mortem vel laqueo, vel fame subeundam, non aufugere ex carcere, licet ei aperiatur, & repudiare cibum oblatum, quàm

quàm oppositum: restituere lucrum partum ex ludo prohibito, quàm oppositum: ad Sacramentum Pœnitentiæ requiri contritionem peccatorum scitâ, & cognitâ, quàm oppositum; sicquæ in aliis mille exemplis; sed in nullis ex prædictis casibus cogimur adhærere parti tutiori, & illam sequi, licet enim possumus sequi minùs tutam; ergo &c.

137. Hinc colliges primò, posse hominem petere dispensationem à Superiore circa res, in quibus est opinio probabilis, quod ille possit dispensare. Secundò, posse quemlibet Ulyssipone virtute Bullæ confiteri cum Sacerdote solum Eboræ approbato; siquidem est opinio, licet minùs probabilis, quod Sacerdos semel approbatus potest ubique eligi virtute Bullæ, ut cum multis tenet *Diana part. 1. tr. 11. resol. 7.* & tenet *P. Henriquez lib. 3. de Pœnitent. cap. 6. num. 8. Ledefma sum. de Pœnit. cap. 13. Cordub. Rodrig. & alli, quos citat, & sequitur P. Fagun. in 2. quinquag. lib. 7. cap. 2. num. 19.* dummodò actu sit approbatus.

138. Tertiò idem dicendum de Parocho, qui dum conservat officium, est ubiq; eligibilis virtute Bullæ; non autem si amittat officium; quamvis etiam in hoc casu posse eligi doceat ut probabile cum aliis *Diana part. 5. tract. 12. resol. 47.* Illud tamen certum, quod ubi amittit officium, saltem amittit jurisdictionem. Utrum verò dum persistit in officio, possit sine Bulla absolvere in tota Diocesi; an solum in sua Parochia? *Barbosa part. 2. de Potest. Parochi cap. 19. num. 3.* docet, quod Parochus solum censetur approbatus ad audiendas confessiones in ea civitate, aut oppido, ubi sita est illius Parochia. Atamen *P. Vasq. apud Joan. Sanch. in select. d. 44. num. 29.* docet, quod non possit audire confessiones extra propriam Parochiam absque licentia proprii Sacerdotis illius Parochiæ. Hoc autem intelligendum est de confessionibus secularium; nam ad audiendas confessiones Religiosorum non requiritur approbatio Episcopi; siquidem Prælatus Religiosus potest dare facultatem Sacerdoti simplici, ut audiat confessiones suorum subditorum. Imò talis Sacerdos virtute Bullæ, aut Jubilæi potest eligi à Religiosis, ut docet *Navar. sum. cap. 4. n. 2. P. Henriquez lib. 3. de Pœnit. cap. 6. num. 4. P. Soar. tomo 4. de Pœnit. d. 28. sect. 4. num. 2.* quos citat, & sequitur *P. Fagun in 2. Eccles. præcep. lib. 7. cap. 2. n. 5.*

SECTIO IX.

Solvuntur Argumenta contra præcedentem doctrinam.

139. RGUES I. cum *Alens. 2. part. quæst. 120. membr. 3. art. 1. ad 2. Albert. Magn. 2. part. sum. D. Thom. quodlib. 8. art. 13. Henric. Gandav. quodlib. 4. quæst. 33. Angel. verb. Conscientia. §. 2. & verbo Opinio §. 1. & 2. Rosel. verb. Conscient. §. 1. Sylvest. sum. verb. Dubium, quæst. 2. num. 4. Cordub. lib. 2. quæst. 3. Sor. lib. 3. de just. quæst. 6. art. 5. ad 4. Palat. in 2. dist. 39. d. 2. dub. 2. ad finem, Perez certam. 10. dubio 2. cap. 10. Navar. in cap. Si quis autem, de Pœnit. dist. 7. à num. 57. 67. & sæpe alibi. Conrad. de contract. 7. quæst. ult. conclus. 1. Armil. verb. Opinio, §. 1. Burgoz. in præm. ad l. Tauri, num. 162. & 163. P. Rebel. 1. p. de Obligat. just. lib. 3. q. 5. §. ultimo, & aliis. D. Paulus ad Rom. 14. 14. Scio, inquit, & confido in Domino IESU, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est; cujus loci sensus est, quod licet fides, sive conscientia do-*

ceat, nullum cibum esse communem, idest, immundum, & prohibitum, immundum tamen esse, & prohibitum, si comedatur existimando, idest, cum conscientia errante, esse communem; & prohibitum; sed hæc conscientia errans, de quâ agit Apostolus, comprehendit etiam assensum opinativum, & formidolosum; ergo &c.

140. Probatur Minor primò, ex proprietate verbi illius existimat, quod propriè significat assensum opinativum. Secundò, ex materia subjecta, de quâ D. Paulus loquebatur, quæ erat error Neophytorum infirmorum in fide, qui arbitrabatur, adhuc post receptam Christi fidem cibos olim à lege prohibitos habere immunditiam legalem, sicquæ edi non posse absque peccato, quem errorem esse in omnibus absque formidine, non est credibile: imò verisimilius est esse in plerisque cum formidine. Tertiò ex communi modo loquendi Sanctorum Patrum, qui per illud verbum existimat, etiam intelligunt assensum opinativum; ergo non potest quis licetè operari contra hujusmodi assensum, sive erroneum, sive opinativum, eligendo partem minùs probabilem, & minùs tutam.

141. Respondeo in hoc loco (sicut & in aliis Scripturæ locis, quæ afferri possunt,) solum significari non esse licitum operari contra conscientiam errantem, vel opinativam, prout supra diximus; non tamen ibi significari, non esse licitum operari contra opinionem probabiliorē, & tutiorem, sequendo aliam probabilem, & satis tutam, de quâ est quæstio, & quæ tunc habebit rationem conscientiæ regulantis prudenter actionem.

142. Argues 2. Innocentius III. in cap. Inquisitioni. de senten. excommuni. ut respondeat ad quæstionem: Utrum conjux dubitans de impedimento matrimonii impediat ab illius usu? Distinguit: Aut conjux certò scit tale impedimentum, & tunc definit, non posse reddere, neque petere, licet per sententiam excommunicationis ad id compellatur ab Ecclesia: aut non scit certò, sed credit; & tunc, si credulitate levi, & temerariâ, definit, quod hujusmodi conscientiâ ad sui Pastoris consilium exclusâ, potest & reddere, & petere: si autem ex credulitate probabili, & discretâ, definit, quod cum tali conscientia reddere potest, sed postulare non debet: Ne, inquit, in alterutro, vel contra legem conjugis, vel contra judicium conscientiæ, committat offensam; sed ex hoc decreto colligitur, conscientiam ligare, dum manet, ita ut faciens contra illam perseverantem, licet levis & temeraria sit, peccatum committat, quatenus sic facit contra conscientiam judicium; omne autem, quod fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam, ut ait idem Pontifex in cap. Per tuas, 2. de Simoniâ. Cujus oppositum adstruit opinio contraria, utpote affirmans, posse quemlibet contra propriam opinionem, & credulitatem facere sine peccato, si sequatur opinionem probabilem contrariam aliorum; ergo &c.

143. Resp. primò, summum Pontificem in hoc decreto non loqui, quâdo est opinio probabilis pro utraque parte, sed quando datur pro una tantum parte cum formidine partis oppositæ. Unde quando unus ex contrahentibus solum habuerit opinionem probabilem dicantem, dari impedimentum, nullam autem habuerit opinionem pro contrariâ parte, tunc definit Pontifex, teneri reddere, non tamen posse petere, ne operetur contra opinionem, sive conscientiam, quam habet pro una tantum parte, & committat offensam, operando contra conscientiam dicantem dari impedimentum.

144. Respondeo secundò cum *P. Sanchez lib. 2. de Matr.*